

DE BEATITUDINE EORUM,

stupendam, quibus omnes gentes seduxerat, in mediis hisce sceleribus omnibus Babylonis urbi olim magnæ in Assyria sitæ similis. Secundum tandem hunc Angelum sequebatur *tertius* eadem auctoritate, inque eodem loco, uti priores duo, qui regnum Anti Christi Romanum, quod modo priori nomine Babylon venerat, jam bestiam appellat, & ne eam, aut ejus imaginem i. e. Papam pro capite Ecclesiæ agnoscerent, aut adorarent, nec notam i. e. professionem publicam, vel subjectionis pro bestia, vel pugnae pro ea in fronte aut in manu suâ acciperent, monet. Si qui autem hæc prohibita facerent, illos divinam iram plane immitem, multiplicem, temporalem & potissimum æternam, quam sensuri essent omnes affectu bestia ad suam perditionem totalem, justam sic talionem voluptatum & impuritatum suarum esse experturos & recepturos. Igne gehennali & sulphure, ceu instrumentis crudelibus, coram sanctis Angelis & Agno, cui honorem eripuerant, esse afficiendos. Imò cruciatus eorum esse duraturos absque fine in omnem æternitatem, nec requiem ullam esse persensuros, bestiam, i. e. regnum Anti Christi Romani aut ejus imaginem, i. e. Pontificem Romanum venerantes, aut ejus notam, sive nominis, sive confessionis, s. subjectionis accipientes. Tandem rei hætenus declaratæ applicationem patheticam ingerit Apostolus Johannes incitatque sanctos Evangelii præcones, Confessores & omnes fideles, quos interfectorius esset Anti-Christus Apoc XIII. 15. ad patientiam in cruce & tribulationibus, ad observationem mandatorum, & ad fidem in Christum. Subjectâ hæc consolatione (quam non solum Sancti illi martyres, tempore Anti-Christi sanguine suo Evangelicæ doctrinæ veritatem obsignantes, sed etiam quamvis aliam persecutionem patientes, aliiq; fideles amplecti debeant,) quod mors ipsis non futura sit exitio, sed potius commodo, cum moriantur in Domino, i. e. propter confessionem nominis ipsius, in vera fide in Christum, in verâ Dei invocatione, nec differatur ipsorum salus post mortem in longinquum, sed statim à morte ejus participes reddantur. Id quod majorem in modum demonstrat per vocem Dei Patris de cælo, Johannis atque Angelorum inter cælum & terram volantium voci oppositam, eumque scribere jubentem.

§. III. *Συναφεία* itaque paucis explorata ad discussionem dicti ipsius pes movendus, in quo Apostolus Beatitudinem in Domino defunctorum verbis ac voculis, quas nunc enodabimus, statuminat, iisque claris & expressis. Vocabulum *μακάριοι* beati in Scriptura S. duplicis significatio-

catio-